

33. Uva ursi procumbens est.
 34. Saxifraga e misero specimine.
 47. Diapensia non refert suam.
 50. Gentiana quaenam sit?
 55. Pyrola mala, et sic in aliis.

Irrascebatur in me bonus Oederus, quod dum in speciebus allegaverim ejus tabulas, adposui primum ejus nomen; nec scio etiamnum qui possem aliter citare.

Quam antiquum crederes Mss. Dioscoridis vestrum esse? an scriptum sit literis graecis uncialibus s. initialibus?

Quaeso delinees Tua facili manu ejus figuram ad Tribulum terrestrem, a qua figura sola judicabo et Tibi dicam.

Bonarotae genus debui separare a Veronicis ob calycem quinquepartitum, nec quadripartitum Veronicae, ad hoc coactus fui a specie capensi, quae certissime distincti generis est. Siccas plantas Bonarotae Michellii habeo.

Semina Proteae recentissima, et pluris aestimanda quam 100 aliae species. Plantae inde nuper enatae foliis nitent argento, ut nil pulchrius.

Crepin chondrilloiden etiam siccam habeo.

Exspecto avidissime videre figuras antiquissimas Dioscoridis.

Post 14 dies mittam ambos tomos specierum plantarum mearum, quas ob editorem festinantem procrastinare non licet.

Vale et vive felix.

Upsaliae 1763, d. 13. Aprilis.